

A.F.
R

IESVS CHRISTVS³⁰
TO KEPAS THΣ ΣΩΤΗΡΙΑΣ
AD LOCVM LVCAE I. 69.

28

PROLVSIO
PRAEMISSA
SOLLEMNITATI
DIEI NATALIS
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

AD CVIVS
MEMORIAM RELIGIOSE CELEBRANDAM
PRORECTOR ACADEMIAE HALENSIS
IO. FRIDERICVS STIEBRITZ
PHILOSOPHIAE, OECONOMIAE, POLITICES ET
CAMERALIVM PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIUS
REGIONVM ALVNORVM EPHORVS
ACADEMIAE MOGVNTINAE SODALIS.

CVM
DIRECTORE ET SENATV VNIVERSO
ACADEMIAE CIVES
INVITAT.

HALAE MAGDEBURGICAE
EXCVDEBAT IO. GODOFREDVS TRAMPIVS.
A. C. MDCC LXVI.



Religio festorum dierum, qui sunt antiquitus ad memoriam
nativitatis Domini nostri IESV CHRISTI celebrandam
constituti, hoc debet consilio suscipi, ut hoc praecipue
tempore animum a rebus huius vitae rerumque humanarum
vanitate abductum in eorum beneficiorum magnitudinem in-
tendamus, quae nobis per aduentum ipsius filii Dei contigere. Neque
enim sine hac diligentia cogitatione recte potest, ut debet, animus commo-
veri nec nasci verae pietatis sensus, a quo cum vacua est religio, non modo
supersticio est sed etiam seminarium omnium vitiorum, ut PAULLVS pla-
nissime docet Rom. 1, 21 seqq. Et sunt in hac ipsa sue sollemnitate sue
doctrina, cuius causa illa institui debebat, multa quae hanc pietatem gra-
tumque pro tantis beneficiis sensum impedire videntur. In doctrina quidem
ipsa animus offenditur et humilitate humanitatis Iesu Christi, a qua suscipien-
da secundum coniungenda abhorrire videtur altitudo infinitae Dei O. M.
naturae, et multo magis etiam modo eius suscipienda atque conditione miser-
abili, in quam se sua sponte induit Dominus noster, cum potuisse certe in-
ter ceteros homines summa, quae cadere vim quam in naturam humanam potest,
glo-

gloria dignitateque florere. Illam vero sollemnitatem externam ita auxit et vero etiam inquinavit vel supersticio vel ingenium ac consuetudo humana, sensus magis et ἐπελθόντες ταῦτα quandam, quam rationem puritatemque religionis secuta, ut plerique Christiani, dum haec sequuntur, ipsum beneficium ac pietatem, quam hoc tempore maxime excitat apud se debebant, paene abiciant. Quo magis opus est, ut assidua et diligentia contemplatione bonorum, quae nobis parauit liberalitas studiorumque Domini nostri IESV CHRISTI, hanc pietatem sive excitemus sive alatus et confirmemus; qua in re optimus huius temporis visus et celebratio continetur. Huiusmodi salubres cogitationes praecivit Zacharias in hymno huius pietatis plenissimo, quem LVCÆ Euangelista diligentia nobis seruauit Euangeli c. I, 68 seqq.; in quo cum sint quaedam subobscura, quae impedit nobilissimi loci intelligentiam possint, praefertim id quod Christum v. 69 dicat τὸ νέος τῆς σωτηρίας, neque omnia possimus persequi in his prolationis angustiis, hoc de nomine ita disputabimus, ut non tam examinemus diuersas super eo interpretum sententias, quas obiter tetegisse satis fuerit, quam eius nominis vim ipsam breuiter et perspicue definiamus.

Principio sicebit sumere, quod ab harum rerum intelligentibus nec in vniuersi Noui Testamenti interpretatione nedum in oratione ea negari debet, quae a Iudaico feredote profecta est seque haud dubie resert ad Veteris Testamenti loca: si verba non modo ita ebraica videantur, ut ebraice ad verbum converti possint, sed ipsa etiam reperiantur in veteris Testamenti libris, eorum vim ex iis, non aliunde, cognosci debere. Quo principio statim conuincitur error eorum, qui vel τὸ νέος τῆς σωτηρίας de salutis vberitate interpretantur et nescio quod Cornu Copiae vident, vel illud de cornibus aerae in tabernaculo Mosaiico intelligunt, ad quae rei salutis causa configiebant, vel de splendore columnae nubis et ignis, quae Israelitis saluti fuerit. Etenim si vel nihil sit aliud, quod diei contra istas opiniones possit: tamen cum Ebraicum קְרָנִי יְשֻׁעָה (νέος σωτηρίας) legatur in Ebraico archetypo Psalm: XVIII, 3. et 2 Sam. XXII, 3. itemque קְרָנִי vel הַצְמַח קְרָנִי (εγέρειν ή ὑψών. ή ἐξανατέλλειν τὸ νέος) 1 Sam. II, 10. Psalm. CXXXII, 17. Ezech. XXVIII, 21. dubitari non potest, quin ex huiusmodi Ebraismis verus loci nostri sensus repetendus sit. Sed, cum in vitroque loquendi modo diuersus sit sensus vocabuli: existit haec quaestio: quisnam sit primarius in loco nostro Ebraismus, ad quem accomodari sententia alteri subiecta debeat? h. e. debeatne vel illud: קְרָנִי יְשֻׁעָה in primis veram loci nostri sententiam desinare, an illud alterum קְרָנִי הַרְיָה? Hoc GROTIUS aliisque placuit, illud nobis videtur verius esse.

Etenim qui locum nostrum vniuersum volunt interpretari secundum illam *Qesron*: ἐγένεν τὸ κέρας, ita solent τὸ κέρας accipere, ut de virtute s. potentia dicatur, sive illud κέρας de homine regeque potentissimo sive de regno aliquo inter Israelitas stabilendo intelligatur, eamque τὸ κέρας translationem ductam nonnulli putant esse a cornibus, quae antiquitus habita fuerint signa regiae potestatis, qualia etiam in numis, praesertim Maccaronicis, conspiciuntur. Iam nos nos non ignoramus vel ipsis in sacris scripturis cornu tanquam symbolum potentiae adhiberi, veteres quoque Paraphrastas illud קְרֵב per regnum, מִלְכָוֹת, conuertisse pluribus in locis, quod forte scriptorem eum, cuius *Breuiarium in Psalterium* sub HIERONIMI nomine exstat in huius Opp. Append. ad Tom. II. edit. Benedicti p. 157, communis, ut vel Psalm XVIII, 3. de regno potente interpretaretur; neque illud quod de cornibus tanquam regiae maiestatis signis dicitur, in dubitationem adducemus, quamquam, nisi cornua in galeis conspiciantur, de quibus posthac videbimus, aliae cornuum in deorum regumque imaginibus origines reperiri possint; v. quae WACHTERVS disputat *Archaeolog. mariaae* c. VII. p. 59-71. At Zachariam nostrum duo loca Psalm. CXXXII, 17. et Ezech. XXVIII, 21. respexisse, in quibus promissa de Messia, quae v. 70 commemorat, legantur, omninoque sensum loci eius, quem interpretamur, e phrasib. Ebraicis קְרֵב הַצְמִיחָה קְרֵב intelligi debere, concedere pluribus de causis non possumus.

Nam *primum* haud sciimus an vterque locus V. T., quem GROTIUS aliisque hic significatum volunt, de Messia intelligi debeat. In illo quidem, qui est Ezech. XXVIII, totus contextus repugnat et cornu gentis Israeliticae crescere dicitur haec tenus, quod Deus illi sit animus sive pristinum robur et dignitatem redditurus; id quod perspicie docet locus similis c. XXIIII, 25 seqq. ad quem ille alter haud dubie referri debet. Afterius loci Psalm CXXXII, 17. sensum declarat ipse Deus 1 Reg. XI, 34-36. XV, 4. transfertque ea verba ad posteros Davidis qui successionis iure obtinebant paternum regnum, atque in illo Psalmo nominibus *cornu lucernaeque Davidis* appellantur. Neque tamen hunc e Psalmis locum negamus simul ad Christum transferri posse, sed ad eum respexisse v. 70. Zachariam, propter eaque τὸ κέρας τ. ὥστε ex hoc loco explicari debere, id eur dubitandum videatur alterum in promtu est argumentum, quod loquendi vsus s. modus Ebraicorum verborum graece transferendorum contrarii videtur. Neque enim usquam ista phrasis קְרֵב הַצְמִיחָה, quae est in vtroque loco, redditur per ἐγένεν τὸ κέρας, vt Zacharias loquitur, sed αὐτέλλεσν τ. κ.; ἐγένεν τ. κ. planissime est Ebraicum קְרֵב (aut potius קְרֵב),

הַקִּים), quae phrasis longe alium fundit sensum ad nostra verba interpre-tanda nullo modo transferendum. Namque *cornu efferri* dicitur eorum, quibus animus accedit: 1 Sam. II, 10. LXXXVIII, 18. 25. et alibi, etiam qui ferociunt et fastu effervuntur, ut est Psalm. LXXV, 5., fere quem ad modum Latinorum: *cristas erigere*, et planissime in illo **HORATIE** (Carm. lib. III. od. 21. v. 17. 18.)

Tu spem reducis mentibus anxiis in me! *καὶ τοις μετέστησιν τοῖς πόνοις*
Viresque, et addis cornua pauperi.

Sed illam phrasim hue a multis translatam verba loci nostri non admittunt; ut non dicamus: *ἐγέρειν τ. κ.* ne dici quidem a Iudeis Graecis, foret enim **הַקִּים קְרִין**, quod nusquam occurrit, certe **הַרִּים** semper, quod sci-mus, vertitur *ὑψόν τό κέρας*; nec *βασιλέας* *ἐγέρειν* dixit quisquam, quod tamen deberet esse, si *κέρας* e quorundam sententia pro *regno* positum esset, ut de *regno* potuisse Zacharias dicere: *ῆγειρε κέρας*. Porro, si *κέρας των* explicandum est e Psalm. XVIII., quod certe debet, de regno ne intelligi quidem potest. Denique videtur nobis perspicuum esse, Zacharium ipsum v. 71. id proprie dixisse quod in loco nostro per κ. σ. improprie expreßerat, itemque eo ipso docuisse quod κ. σ. primarium sit ad quod attendi oporteat, cuique debeant cetera accommodari. Nam et si videmus ERASMVUM, BEZAM, GROTIUM et alios *σωτηρίαν* v. 71. et ea quae sequuntur, coniungere cum verbo *ἐδάλητε* v. 70. tamen est ista coniunctio paullo durior, et *σωτηρία* videtur nostrum κ. *σωτηρίας* respicere, ut rectius iudicent, qui v. 70 parenthesi circumscribendum arbitrentur, versumque 71. cum verso nostro 69. copulari velint. Quod qui admittunt, vix poterunt dubitare, quin in primis laborare debeamus de illo: *κέρας της σωτηρίας*, cuique cetera accommodate interpretari.

Restat igitur, vt, qui tropus insit τὸ κέρας τ. σωτηρίας, breuiter demonstretur. Nempe si verum est id e loco Psalmi XVIII. intelligi debere, **עֲדֵן יְשֻׁעָה** videtur de *galea* dictum, *quae incolumentem praefest* s. ita quasi capit muniat, vt de ictibus hostium nihil metuendum sit. Quam sententiam et si scimus in mente venisse CHRISTIANO BRÜNINGSI, Theologo nuper admodum Heidelbergensi, (in diss. *de cornu salutis*. recus. a. 1743.): tamen videtur praetermissae quedam quae faciunt ad eam confirmandam, omninoque multa aliena adhibuisse, quae vix poterunt eni quam persuaderi, nisi notationum s. etymologiarum et allegoriarum lusus nimis amet. Quare dabimus operam, vt e legitimis interpretationis fontibus huius caussae probabilitas ducta videri possit.

Iam primum in eo quod *cornu* pro *galea* positum sit, non videmus quomodo quis magis offendit possit, quam translatione quacunque, per quam

rei adiunctum pro ipsa re sive subiecto substitutur. Namque inter veteres
 populos, quem ad modum illi apud P H A E D R U M (lib. III, fab. 5. v. 5 seqq.)
 D u c e s — , qui capitibus cornua in offensione ab inimicis
 ligabant, ut conspicuum in proelio esset. Suis ligarant, et
 Haberent signum, multi cornua galeis applicabant, sive ut hostibus terorem incuterent, quod
 de Gallis. D I O D O R U S Siculus refert (Biblioth. lib. V. c. 30. Tom. I. p. 353.
 Ed. W e f f e l i n g.), sive ut dices facilius internoscerentur, ut P L U T A R C H U S
 Pyrrhum regem ab insigni crista cornibusque hircinis in galea narrat cognitum
 fuisse (in Pyrrho. Opp. T. I. Ed. Francof. p. 384. B.). Quod etsi de
 Ebraeorum gente non legitur, tamen neque ab illa prisca simplicitate abher-
 ret, quae pelibus et exuviis animalium in primis vtebatur, et quodam modo
 probabile est. et Reg. XXII, 11. Nec desunt in sacro codice exempla, in
 quibus similia pro capitis tegumento ponuntur. Etenim D A V I D E S Psalm.
 LX, 9. et CVIII, 9. Ephraimitas appellat מַעֲנוֹ רָאשׁ q. d. robur capi-
 tis mei, e quo intelligi posse videtur illud Paullum: אֶבְרֹאֵם תְּנִזְבְּחֵנִי, quamquam ibi est de velo muliebri. Quod Ebraicum רָאשׁ est qui-
 dem de iis qui corporis sunt aut capitis custodes, sed similitudo tamen a ga-
 lea ducta est, quae caput contra iudeus defendit; atque cum ἡρκ, id quod
 fatis constat, etiam de robore dicatur, quae potest maior inter illud et alte-
 rum vocabulum ἥρη similitudo intercedere? Ac profecto illud adiunctum
 ὑπό, quod est in Psalmo nostro, alibi quoque cum galea coniungitur, ut
 Κοβυσιώναι εσαι. LVIII, 17. et περιφάλαια τε σωτηρία Ephes.
 VI, 17.

Neque vero ita aliena est haec, quam defendimus significatio, quin-
 ea in verbis Zachariae admitti debere. At locus e Psalmo XVIII. etiam em-
 postulare videatur. In hoc quidem loco Deus Davidi dicitur rupes, propu-
 gnaculum, arx, clypeus, nominibus e re bellica duellis, qui contextus desi-
 derat in ἡρκ eandem significacionem bellicam; et, cum hic Deum dixisset
 ἡρκ, in versu 36. ab eo se acceperisse ait ψ. 113, clypeum incolu-
 mitatis. Atque haec etiam aptissima sunt Zachariae hymno; propter ea
 quod v. 7. σωτηρία εξ ἐχθρῶν ἡμῶν καὶ ἐν κεισὶς πάντων τῶν μαρτύ-
 τῶν ἡμῶν, quae verba supra dicebamus continere interpretationem τε κέρα-
 τος σωτηρίας, exhibet incolumentem ab hostibus nostris (s. potius Sote-
 rem, qui nos contra eos defendat) atque a potestate omnium, qui nobis
 aduersantur. Nam σωτηρία et σωτήρ non modo de iis dici, qui alios
 in libertatem vindicent, sed de quibusunque, qui dent salutem, depellantque
 et arcent pericula, nemini potest obscurum esse, qui e veterum monumen-
 tis intellexerit, quibus vel diis vel hominibus, et quatenus hoc illustre σωτῆρος
 cognoscatur.

cognomen tribuerint (v. compendii causa exempla quae V. S. R. 40. BE-
NEDICT. CARPOVIUS collegit in doctissimo progr. Mysterium ma-
gnum de Christo sui corporis Saluatore ad Ephes. V, 23. §. 12;) quod hic iam bene vidit magnus ERASMVS, qui *σωτηρίαν* in h. l. magis
sonare, ait, *seruationem s. incolumentem*. Idque omnis contextus confir-
mat. Etsi enim negari non potest: ut etiam haec tenus laudari Christum a Za-
charia, quod nos liberauerit ab hostibus nostris et quasi manu asseruerit,
tamen et hoc effectus, vt secundum v. 74. possimus αφέως λατρεύειν
αὐτῷ, fidenter (בְּתַחַת, quod v. 6 Psalm. LXXVIII, 53. et alibi per αφέως reddunt)
colere ipsum ἐν οἰκίᾳ τῇ δικαιοΐᾳ, πάσας τὰς ἵψεις τῆς
ζωῆς ἡμῶν (v. 75); quae verba prorsus consentiant cum loco i Tim. II, 2.
vbi PAULLVS etiam de pace atque incolumente publica loquitur. Quae
omnia quoniam perspicuum habent cum *galea* similitudinem, qua caput con-
tra vulnera munitur, quid est quod impedit, quo minus haec imago nostro
in loco admittatur?


Enim vero sunt qui nobis ita occurrant: ad hanc imaginem referri
verbum ἐγένετο non posse, quod de regni constitutione quidem dici possit,
atque etiam de iis, quos Deus reges aut quoconque modo rectores gentium
constituerit, sed de galea nullo modo. Sed primum nec potest ἐγένετο de
regno dici, certe numquam, vt supra dicebanus, de eo illud verbum re-
peritur, sed καθισθεῖ, ἀποκαθίσασθαι, et similia. Deinde de quinque
tandem re improprie τὸ θέατρον dicatur, de virtute, robore, de quouis qui
est cum imperio, numquam illud ἐγένετο ad proprietatem τοῦ θέατρου refer-
tur, sed ad illud subiectum, quod θέατρον improprie dicebatur. Idcirco cum
ἐγένετο s. Κύρος apud Ebraeos tribuatur Deo, qui mittat Soteris sine doctri-
na sine virtute constituentes rem publicam vel defendantes, praefertim istos,
qui בְּנֵי־עֲמֹק appellati gentem Dei vindicarent aduersus hostium tyrannidem
Iud. II, 16. 18. III, 9. 15 &c.: istud verbum ad eum referri debet, qui propter
hominum defensionem improprie cognomen τοῦ θέατρου σωτηρίας accepérat;
vt nihil duri sit in hac verborum coniunctione. Quem Σωτήρα esse aliquam
personam s. CHRISTVM ipsum, non: eius regnum, quod quibusdam in-
terpretibus placuit, non modo illud ἐγένετο docet, quod de personis a Deo
constitutis dicitur, de ipso Christo quoque Aet. XIII, 22. et alibi, sed clamat
etiam vniuersus apud LV C A M orationis contextus. Nam v. 76 de Domino
Zacharias canit, cui Ioannes debebat quasi sternere viam et genti Iudeorum
proponere σωτηρίαν; nec αντολὴ ἐξ ὑψοῦ sol caelestis v. 78. de alio intel-
ligi potest, nisi de Christo, coll. Malach. III, 2. et Matth. III, 13 seqq. Et
declarat versus 77. quatenus nobis σωτηρία per Christum contingat atque is
τὸ θέατρον τοῦ σωτῆρος dicatur, nempe: ἐν αὐτοῖς αἱ μαρτυρίαι h. e. propter ea quod
per



per mortem suam ceteraque suscep^tas aduersitatis nos ita placauit Deo, vt de peccatis eorumque poenis nihil nobis metuendum sit.

Atque hoc, quod nobis Christus parauit, beneficium omnem animum, mentem atque vitam nostram occupet per hos ipsos dies, quorum sollemnitas Vobis, HUMANISSIMI CIVIS, indicimus. Non profecto leue hoc debet putari, quod ipse DEVS se ad nostram humilitatem demiserit, nec illud tamen, quamquam nobis, honorificentissimum, nobis quidquam profuerit, nisi per hanc natuitatem Domini nostri IESV CHRISTI ille sibi aditum quasi fecisset ad auferenda peccata nostra, et restaurandam beatitudinem, cuius iacturam feceramus. Hoc, hoc beneficium vnum maximum debet dici propter ea quod sine tali certitudine de Deo placato et puritate animi nostri tranquillus animus esse non potest; qua tranquillitate sublata nulla vera beatitas datur. Id igitur agamus hoc in primis tempore, vt primum cum Zanchia verissima pietate incensi gratias agamus Deo nobis propter Christum propitio, quod tam liberaliter prospexerit saluti nostrae et miserit ad nos filium suum, beatitatis nostrae assertorem, qui si a nostra parte est, quis poterit contra nos esse? Et quoniam haec animi liquida tranquillitas, quae tanto nomine digna est, non conceditur nobis nisi per Spiritum sanctum, cui ista pax atque gaudium tribuitur Rom. XIII, 17., quique per verbum suum nos ad illam voluptatem adducit; nihil committamus, quo ille offendit atque expelli a nobis possit, cuius generis sunt illi lufus et *Qavrtacius*, ne quid peius dicamus, quae Christianos non decent, nec sollemnitatem dicatam Deo, sed Bacchanalia potius eorum, qui Deum nequaquam cognouere. Contra simus toti in audiendo, legendō cogitandoque Euangelio, quod nobis illam suavitatem DEI NOSTRI propinat, eoque ad reclam vel pietatem vel sanctitatem transferendo. Qua re fiet vt et Deo probemur et vberrimos saluberrimosque fructus huius studii reportemus. Ita faxit DEVS O. M. per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. P.P. a. d. XXIIII. Decembri Anno Chr. MDCCCLXVI.





01A 6600


ULB Halle
002 932 490

3



W01P

R



28

IESVS CHRISTVS
TO KEPΑΣ ΤΗΣ ΣΩΤΗΡΙΑΣ
AD LOCVM LVCAE I. 69.

PROLVSIO

PRAEMISSA

SOLLEMNITATI

DIEI NATALIS
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

AD CVIVS

MEMORIAM RELIGIOSE CELEBRANDAM
PRORECTOR ACADEMIAE HALENSIS

IO. FRIDERICVS STIEBRITZ

PHILOSOPHIAE, OECONOMIAE, POLITICES ET
CAMERALIVM PROFESSOR, PVBLICVS ORDINARIVS
REGIONVM ALVMNORVM EPHORVS
ACADEMIAE MOGVNTINAЕ SODALIS.

CVM

DIRECTORE ET SENATV VNIVERSO
ACADEMIAE CIVES
INVITAT.

HALAE MAGDEBURGICAE

EXCVDEBAT IO. GODOFREDVS TRAMPIVS.

A. C. M D CC LXVI